



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

53. Controversia Erphordiensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

1664. rent, tota belli moles uni sibi incumbere. *Ætas Philippi Hispaniarum Regis* quoties fatiscens. Interque eos armorum sumptus maligna annonæ ex *Hungariâ* suppeditatio & ingens subsidiorum ex Imperio difficultas.

Deserto igitur *Vagâ* militem variè displicunt. *Cæsareus* in *Insula Schutta*: *Circulares* & *Confœderatorum* ad *Muram* quadridiu substitere. Quo tandem domus & illo in limitaneas *Hungariæ* Urbes, terrasque hæreditarias dimisso, *Directores* *Viam* nam revertuntur.

33. Controversia jampridem erat *Joanni Philippo*, *Moguntinæ* Sedis Pontifici, cum *Erphordiâ* Civitate. Isthic solitæ fuerant preces, pro istius Ecclesiæ Septemviro, antea motus bellicos, è suggestibus recitari, uti passim in *Germania* pro Principibus observant Ecclesiastes. Has dudum expunxerat *Civitas* obtendens pugnare cum conscientie & religionis libertate. Elector jam sub annum seculi quinquagesimum, quando pacem in *Germania* exequabantur *Commissarii*, à *Cæsare* obtinuerat decretum, mandatumque, ut igitur facerent eadem, quâ ante bellum, intentione & modo. Cumque formulam celebrare se negarent *Erphordiani*, geminata post decennium *Cæsaris* Commissione, nova cœditur, offerturque. Hanc ad *Senatum* referat

*Limprechtus* inter Quatuor-Viros primus, quam & ipse, & potior pars gratam, ratamque habet. Plebs initiò quidem nec invita, sed paulò post ab aliis persuasa, non tam preces Civium, quam jura Civitatis quæri, tumultuans contradicit. Imperator metu præjudicij Cives eximit, ac severè mandat obsequèlam. Seditiosior interim populus *Limprechtum*, falsi insimulatum, carcere & morte, plures exilio multat. Cæsar arctiora & pœnas frustra comminans obstinatioem quotidie Civitatem demùm proscribit. Cumque sub Octobrem anni proximè evoluti, Fecialis de more Imperij proscriptionem denunciaret, & is insuper, spretâ Cæsaris Majestate, inter verba & verbera contumeliosè habetur.

*Joannes Philippus*, qui veterem Ecclesiæ Moguntinensis gloriam tot nuper bellis propè obsoletam indices renovabat, certus jam haud alio quam armorum rigore posse rem confici, cum *Christophoro Bernardo*, de redigendâ in ordinem *Erphordia*, sub id tempus Ratisbonæ pluries egit. Erant ij duo, si qui alij per Germaniam, mutuâ fide, amicitiaque Principes conjunctissimi. Hanc uterque necessitudinem continuatis Legationibus, communicatis consiliis, collatis viribus sanctè observabat. Decretam tunc obsidionem, ratus Elector nunc exequi opportunum esse, Confœderatorum opem implorat.

Ludo-

54.  
Moguntinus &  
Monasteriensis  
quanti  
amici.